

Pacif. §. 147. Dictavi scribit ad Systema *Celeberrimi Viri*  
 §. 4. loc. 14. vitam corporis non dependere à vitâ animæ ,  
 cum tota natura , pro ut ipsum corpus, ita & vita corporis  
 & anima & vita animæ differt. Vitam enim corpo-  
 ris consistere in Motu sanguinis & Spirituum ; vitam verò animæ  
 in Cogitatione. Erroneum inquit *Cartesius* est credere animam  
 dare Motum & calorem corpori. Quæ sententia falsæ hypothesi  
 est superstructa , nempe vitam corporis consistere in Motu san-  
 guinis & Spirituum, vitam verò animæ incogitatione. Nam  
 primò una est vita animæ & corporis, & sicut anima habet vitam  
 per se & essentialiter, ita sese sua entitate communicando corpo-  
 ri tanquam forma, eandem quoque corpori communicat, nec  
 duplex vivens homo , quod admittendum, si dupli gauderet  
 vitâ, nec anima Forma assistens, quæ tantum Corpus dirigat, mo-  
 veat, & regat tanquam Rector vel Nauta in Navi. Secundò fal-  
 sum est vitam corporis consistere in Motu sanguinis & Spiritu-  
 um, prodit sese per illum Motum , sed non consistit in illo for-  
 maliter, unde enim probabitur hoc paradoxo, & num non vita di-  
 cit actum primum, non tantum secundum in suâ latitudine. Ter-  
 tiò falsum illud de vita animæ , quod consistat in cogitatione,  
 adeoque animam, vitam & cogitationem simpliciter identifica-  
 ri, cum tamen sint distinctissima, ut mirum Philosophos & Theo-  
 logos *Cartesianos*, qui omnia per distinctos conceptus expedire  
 intendunt; hic ut Coquos omnia miscere & jura quæ proponunt  
 confundere.

## C A P U T VII.

### DE PROVIDENTIA DIVINA.

*Quomodo instituendi sint illi qui de providentia  
 DEI maximè circa res humanas dubitant?*

**E**xercuit in tentationibus non unus aut alter sed plures scrupuli  
 etiam Viros pios & sanctos de providentia divina. Ita enim  
*Jobus c. 21. v. 7. & 8.* ita *David Ps. 73. v. 2. & 3.* ita *Jeremias cap. 12.  
 v. 1. 2. 3. in Gentilismo consimiles querelæ utramque saepius fecerunt*  
 paginam.

*Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato parvo  
 Pompeius nullo: credimus esse DEOS*

Ffff 3

Cum